



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XI. De sanctis qui contra pestem tamquam speciales Patroni
inuocandi sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

Basi. orat.
de in 4.
Martyr.

sunt & tentati, potentes sunt eis qui tentantur auxiliari. Illud nihilominus nos monet V. M. Card. Bellar. quòd etsi quidam Sancti aliquo genere miraculorum interdù magis clarent quàm alij, tamen ab omnibus omnia peti posse; neque putandum, ita ab vno vnum esse petendum, vt non etiam existimemus alterius intercessione obtineri posse. Ergo qui aliqua premitur angustia ad Sanctos confugiat. qui rursus lætatur, hos oret? ille vt à malis liberetur: hic vt duret in rebus lætis.

C A P. XI.

De Sanctis qui contra pestem tamquam speciales Patroni inuocandi sunt.

Serm. de
aquæ-
duct.

AGmen horum omniũ ducet (nam principem locum iure suo postulat & meretur) Sãctorum omnium princeps & regina, sanctissima Virgo-mater Maria, cunctorum morborum malorumque potentissima auerruncatrix, salus infirmorũ, refugium peccatorum, cõsolatrix afflictorum, auxilium Christianorum. quidquid enim gratiarum & beneficiorũ cõmunicatum est reliquis omnibus, in hanc vnã diuitissima manu & multiplicato fœnore tanquam vberimum Amaltheæ cornu, & parens eius & idem eiusdem filius omnium auctor & distributor Deus coniecit. nam vt piè & verè sentit mellifluus eius amasus S. Bernardus: Nihil nos Deus habere voluit quod per Mariæ manus non transfret. Ideò vocatur, inquit, regina misericordiæ, quòd diuinæ pietatis abyssum cui vult, & quãdo vult, & quomodo vult (& pro omnibus suis cliẽtibus semper vult) credatur aperire. & S. Bernardus Senensis: Non timeo dicere quòd in omnium gratiarum effluxus quandam iurisdictionem habeat hæc Virgo de cuius vtero quasi de quodam diuinitatis oceano riui & flu-

flumina emanant omnium gratiarum. Detestare igitur quisquis huius Virginis amator & verus Christianus es. detestandam illam & contumelijs plenam noui Luciani, Erasmi inquam Roterodami (cuius nomen, verè dico quod sentio, licet magnus fuerit politioris litteraturæ Mecænas, sine motione bilis nullus sincerus Marianus audire debet, sed illud cum omnibus eius operibus omnium è manibus excutere) epistolam confictam nomine Virginis Deiparæ in qua ipsa Mater Veritatis falsorum dogmatum Lutheri auctor introducit. Sic enim ficta illa Maria ad Glancoputum scribit: Quòd Lutherum fecutus strenuè suades superuacaneum esse inuocare Diuos, à me quidem isto nomine bonam magnamque gratiam te inisse scito. nam ante hac tantum non enecabar improbis mortalium opplorationibus: ab vnâ petebantur omnia, quasi filius meus semper infans esset, quia talis fingitur pingiturque in sinu meo. Ecquid vobis videtur quicumque estis Apostolici Erasmi vindices, de Luciano hoc ioco? an non Luciani impietatem lōgo intervallo hic superauit, qui non vt ille falsos Deos vereq; ridiculos irrisit, sed veram Dei matrem, Cherubim, teste Hieronymo, honoratiorem, & Seraphim incōparabiliter gloriosiore. Veros angelorum ciues, veri que Dei amicos & domesticos, vt Apostolus loquitur, contumeliosissime tractauit in colloquio enim quod inscripsit, Naufragium, quendam introducit alterum interrogantem an imminente mortis periculo implorauerit alicuius Diui præsidium? respondet ille: Ne id quidem. Quam ob rem autem inquit? Quia spatiosum est cœlū: si cui Diuorū cōmendauero salutē meā, putā Petro, quia fortasse prius audiet, quòd adest ostio, priusquā ille cōueniat Deū, priusquā exponat causā, ego iam periero. Isti sunt lepidi, vel potius sacrilegi Erasmi ioci: quem defendite quicūq; Deum

&

& in Deo Sanctos eius oppugnatis. Sed piget me certè pudetque talia referre, quibus tamen vndique sciant Erasmi lucubrations, dignæ (iterum repeto) quæ ex omnium manibus excutiantur. Religiosius & verius de Virgine nostra S. S. Patres qui collo corporis mystici quod est Ecclesia eam comparat, quod capiti eius, id est, Christo quam proxima sit, eò quod sicuti per collum influxus capitis in membra reliqua descendunt, ita omnia munera, omnes gratiæ, omnes cœlestes influxus à Christo tanquam à capite per Mariam quasi per collum in Ecclesiæ membra deriuentur. Quocirca S. Basil. Seleuciæ Episcopus vnus de septem Mariani Oratorij Sacellanis (ita dictis quod eius laudes mirificè decantant in suis Scriptis) liberè asserit per nullum Sanctorum tanta ac tam frequentia fieri miracula, ac per B. hanc Virginem. quam gratiosam prærogatiuam ei Deus concessit, quia Vnigeniti sui mater & nutrix fuit: nolens hac in parte cedere munificentiam principum huius sæculi qui nutrices filiorum suorum amplissimis donant muneribus: eò magis hac gratiam dignior præ illis quod virgineum eius lac illarum iam corrupto lacte dignius & nobiliter fuit. Non ignorat hoc mater nostra Ecclesia quæ idcirco in omni sua tribulatione, in omni angustia ad hanc piissimam consolatricem & fidelissimam auxiliatricem confugere solet, ac potissimum quando grauior aliqua contagiosa lues filios eius inuadit & depascitur. Huic fini celebrem illam & encomiasticam iam à tot annis usurpatam post Missarum solemnia decantare consuevit Antiphonam, in qua tot sunt præclara elogia quot verba; tot laudes, quot apices, nempe:

Hæc est præclarum vas paraclæti Spiritus sancti; hæc est gloriosa ciuitas Dei; hæc est mulier virtutis quæ contriuit caput serpentis; hæc est sole speciosior, luna pulchrior, aurora rutilatior, stellis præclarior. Hanc peccatores deuotè adæamus, & ea pectora tūdāmus, dicentes:

SAN-

Sancta, Sancta, Sancta Maria clemens & pia Domina nostra, nos à peste & subitanea morte, & ab omni tribulatione sanctis tuis precibus liberatos fac consortes cælestis gloria. Audi nos, nam te filius nihil negans honorat. Salua nos Iesu pro quibus Virgo Mater te orat. Alleluia.

Verf. In omni tribulatione & angustia nostra.

Resp. Succurre nobis piissima virgo Maria.

Oremus.

CONcede quæsumus omnipotens Deus, vt qui protectionis tuæ gratiam quærimus, intercedente gloriosa semper virgine Maria, à peste inguinaria & epidimiæ, à subitanea & improvisa morte, & ab omnibus malis liberati, securo tibi mente seruiamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ita hæc Antiphona cum sua Collecta apud nos solet decantari, putaturque primam originem, secundum nonnullos, ex Ordine Sancti Bernardi traxisse; in quo iam à multis centenariis annis in vfu fuit. qui Ordo vti & noster Præmonstratensis ei coætaneus iam à sui exordio B. ^{mae} Virgini mitè fuit addictus, cuius foecundo lacte in perfectum statum vterque fuit enutritus. Sed accipe quæ fidem faciant verissima prædictorum exempla. Anno 544. Iustiniano Imperatore ingens pestilentia in Oriente grassari cœpit: cui remedium nullum inventum præterquam ex Deo vnde venerat, quamquam multi arrogantes Physiologiæ causas commentari contenderint, vanas quidem omnes & investigabiles tantumque sermone decipientes. Hic enim morbus nulli neque ætati neque sexui neque loco parcebat. Cœpit ab Ægyptijs qui apud Pelusium sunt: hinc vniuersam terram comprehendit, itinere semper procedens nullas reliquit locorum latebras, nec bis eadem corpora repetebat. Incipiebat autem hoc modo: Phantasmata dæmonum multis humanâ specie visa sunt,

Procop. de bello Persico c. 2.

L

quot

quot enim in ipsa inciderent, percuti se ab aliquo viro
 putabant morbusque subito irruerat. nonnulli ab initio
 verbis sanctis ac alijs supplicationibus eum auertere fru-
 strà quærebant, ac tamquam lymphati seu spiritu maligno
 agitati amicos vocantes minimè audiebant, in locis quo-
 que angustiis coërcebantur. nonnullis verò in somnis hæc
 eadem accidebant. corripiebantur enim statim febre, ca-
 lore, coloreque pariter corporis nusquam immutatis; ne-
 que vlla item inflammatio, sed tussis quædam ab initio vs-
 que ad vesperam febris erat, adeò vt nullo adhibito me-
 dicamento nullius opinionem periculi præberent, eodem
 verò die, nonnullis sequenti, aliis non multò post tuber-
 succrescebat: quibusdam somnus inerat profundus, non-
 nullis acuta quædam stultitia, & priorum quidem omnium
 oblitum rerum etiam cibum negligentes moriebantur. in-
 stultitia verò corripiti sibi visi aut invadi clamabant auer-
 tentesque fugiebant, quorum curatores & ministri dira &
 intoleranda patiebantur. nam furentes aut è lecto se præ-
 cipitare aut ad flumina ob sitim properare volentes vix re-
 tinebant: peribant aliqui eodem die, nonnulli multis post
 diebus. Tribus igitur mensibus huiusmodi lues Constanti-
 nopoli prævaluit adeò vt in singulos dies quinque sæpius
 etià decem millia efferebatur. Quod verò nõ amplius quã-
 tribus mensibus Constantinopolim vexauerit, cum scribat.
 Evagrius eam annos 52. per vniuersum ferme terrarum
 orbem grassatam esse, miraculo tribuitur. nam tantum be-
 neficium solemnem die festo in honorem Dei genitricis Ma-
 riæ (cuius ope liberati erant, cuique ipsa civitas dicata erat,
 vrbs Dominæ dicta) instituto, anniversariaque die in Ec-
 clesia repetèdo remansit posteris perpetua memoria con-
 signatum, cum videlicet idem Hypapanti est nominatus,
 nempe humilis occursum Simeonis cum Deipara suum fi-
 lium Dominum nostrum Iesum Christum in templum in-
 tulit.

tulit. Meminit eiusdem & Sigebertus in Chron. anno Christi 542. occasionem huius festi celebrandi his verbis declarans: Constantinopoli magna mortalitate insurgente statuta est solennitas B. Mariæ, quæ græcè ὑπαπαντή, id est, obuiatio, dicitur. ita ille. Huius verò festiuitatis in Occidente fundamenta prima iecit & viam aperuit Gelasius Rom. Pontifex, qui annis triginta ante Iustiniani tempora Romanæ Ecclesiæ præfuit, dum Lupercalia mense Februario agi solita Romæ ad ea tempora permanentia legibus ecclesiasticis abrogauit: in quorum locum hæc solennitas introducta est, quam paulò post, Iustiniani temporibus Orientalis Ecclesiæ occasione prædictæ mortalitatis accepit. Sed ex Oriente ad Occidentem. Cùm anno 590. sæuissima pestis Romæ grassaretur (de qua supra) ac multæ aliæ calamitates accederent, Gregorius Pontifex ratus dominantis plagæ obuiandum, religiosam in die Resurrectionis Dominicæ supplicationem instituit, & sacram Deiparæ Virginis imaginem per urbem canente Clero, orante populo, circumferri iussit, piamque circumgestionem Deus præsentis miraculo comprobauit. etenim quocumque loco prædicta imago circumferebatur, pestilentis cœli grauitas depulsa & optata salubritas in vrbe consecuta est. vbi gratulantibus omnibus Deo, ecce tibi Angelum cruento suo gladio in vaginam reposito, qui sanctissimam Virginem gratulatoriè ita salutatur & alloquitur:

Regina cœli lætare, alleluia.

Quia quem meruisti portare, alleluia,

Resurrexit sicut dixit, alleluia.

Quam salutationem simul atque Pontifex audiuit, diuino spiritu statim excitatus, eandem hunc in modum compleuit:

Ora pro nobis Deum, alleluia.

L 2

atque

Baron in
martyrol.
2. Febr.

Carol. Si-
gonius lib.
de reg. Ital.
& Baron.
anno 190.

atque exinde canticum istud in Ecclesia permanfit solenne, veluti tanti beneficij perenne monumentum. Verùm occasione huius pestilentix confutandus est error qui nullâ veterum testificatione iactatus est vulgo, scilicet ex hoc tempore cùm pestis ingrueret & homines morbo tacti sternutando mortui caderent, piè introductum esse vt sternutantem quemlibet salutemus; inoleuisse enim eiusmodi vsum apud Gentiles longè antè, & vt eiusmodi salutationem impertiendo, deos invocarent, testatur Plinius l. 28. hist. natural. Sed eccum aliud in eadem Italia recens planè & adhuc modò viuentium oculis comprobatum. Anno 1555. atrox pestilentia Venetiæ fines Carnosque pervagata, magnas edebat vbique strages incolarum. Ergo primores ciuitatis Vtinenfis cùm serpere quotidie malum & iam adventare cernerent, consilium à necessitate petunt, votoque publicè nuncupato Lauretanam Virginem invocant & ciuitatem eius committunt fidei tutelæque. nec illa clientium suorum vota ac preces fefellit. biennio quo grassata est lues cunctis circà oppidis morbo exhaustis (adeò præfens tutela B. Mariæ fuit) sola Vtina communis mali perseverauit immunis. Vtinenfis ergo ciuitas non in faciendis quàm in exequendis votis religiosior, solenni supplicatione indictâ Lauretum venit. Trecenti erant viri nobiles quibus pulcherrima Christi crucifixi effigies præferebatur, omnes linteati, omnes iisdem insignibus conspicui, cum donis vel publicis vel priuatis ad Lauretanam ædem pariter procedebant. Limen ingressi, prostertere corpora certatim humi & collacrymantes ciuitatis suæ ac suo quisque priuatim nomine ingentes Deo Deiparæque grates agere cœperunt: inde con surgentes fraternè se invicem complexati, fletuque integrato mutuis se perfundere lacrymis, & insignem à pietate ortam complorationem par eorum qui aderant comploratio

Plin. natur.
sal. histor.
lib. 28.

ploratio excepit, nullo fere spectatorum in tam pio tali-
um virorum fletu lacrymas tenente. Ad vltimum in-
trant sanctissimam Cellam, Deiparaq; Virgine enixè con-
salutatâ apud eam munera deponunt. in his votiua erat
tabula egregiè depicta cum titulo,

Gloriosissimæ Virgini Lauretanæ obserua-
tam à pestilentia Vtinensem Ciuitatem &
agrum, Sacratissimi Crucifixi Societas posuit
dedicauitque anno Sal. M.D.LVI.

Horat. Tur-
fel. c. 24.

Laudabile horum exemplum imitata est imitaturq; ad-
huc in dies dum hæc scribo, grassante hac lue, religiosa
nostra Brabantia. Videre siquidem quotidie est è circum-
iacentibus locis integros pagos ac ciuitates cum Clero &
Parochis suis ad celeberrimum illud orbetoto notissimum
afflictorum asylum Diuam Virginem Aspricollentem vo-
tis & donis grauidos proauertenda eadem lue caternatim
concurrere neque irritâ spe vt fatentur, & nos ipsi vide-
mus. quæ enim alijs nationibus in angustijs toties fuit opi-
tulata, Brabantis eius nominis studiofissimis, auxiliatricem
manum hæctenus non denegat. Imitare & tu quisquis in
eadem necessitate es, & sponsor tibi sum, opem à matre
misericordiæ senties, amat enim religiofas huiusmodi pe-
regriuationes & votiuas supplicationes. Pestis apud Tun-
gros in Hannonia prope Athum anno 1215, sævè admo-
dum grassabatur, vt in oppidis & pagis vix cuiquam par-
ceret, nullo ætatis sexusve discrimine; præcipue tamen
Athum inuaserat. ibi tum erat mulier peregrinatrix ad
Tungros nomine Nicolaa, quæ nihil sibi metnebat à pe-
stilentia quòd D. Mariæ Virginis bonitate subnixa esset
& inscripta albo Sodalitatis eius apud Tungros, quo fie-
bat vt vicinos & amicos suos incitaret ad votum peregri-
nationis

nationis Tungrensis. Persuasit hoc illa quamplurimis qui cum suis domesticis à peste immunes extiterunt & ad Tungrensem ædiculam peregrinatione suscepta actisque deinde B.^{ma} Virgini gratijs sese peregrinorum & sodalium catalogo (nota lectorium & antiquum piarum sodalitarum usum) inscribi fecerunt. Ex hoc rumore per totum oppidum sparso ciuium animi pia deuotione ac deuota pietate mirabiliter fuerunt inflammati. Quæ res loci Pastorem permouit vt publicam ac solennem processionem ab Atho ad ædiculam Tungrensem populo nouis delibuto gaudijs indiceret. Ventum est eò non sine magna pietatis significatione sacrisque carimonijs: auditus est præco Diuini verbi Ioannes Regius, qui tantam credentis plebis animis ingenerauit fiduciam de fauore & auxilio Dei per B.^{ma} Virginis Mariæ merita obtinendo, si modò serio ad Dominum conuerterentur, vt inde salutaris admodum successus & lætus prouentus prodiret. Ab eo autem tempore vindex Dei manus exarmata est, & horribile Dei flagellum in oppido iam nominato conquieuit, ita vt exinde nullus omnino cuiuscumque demum ætatis fuerit, pestilentia malo sit sublatus. Insigne hoc & euidens miraculum nusquam non innotuit, vnde & alij populi similem veræ conuersionis viam ingressi, potissimum verò Valentianis & Tornaci à pestilentia mirè & subito sunt liberati. ita Carolus Hengelius in Alexityrio, & Columbanus Vranxius olim in Cœnobio nostro Tungalöensi S. T. Lector, ac postmodum ex Pœnitentiario Ecclesiæ Sancti Bavonis, in monte Blandinio Gandavi Abbas. Nota sunt etiam beneficia huius Virginis Bruxellæ, vbi in templo Sancti Nicolai visitatur miraculosa eius imago contra pestem, quæ illuc Affligemiensi ex
monasterio

monasterio est delata, & Sodalitate in eius honorem erecta, usque hodie honoratur, diciturque Sancta Maria de Pace, cuius intuitu frequentissime accensum pestilentiae ignem Deus Bruxellis restinxit. de qua plura in Chronicis Brabantiae & Affligemij. Sed de Italia & Belgio nostro hactenus satis. ex officina verae pietatis Hispania exemplum petendum vnicum. Laborante, inquit Franciscus Gonzaga, vniuersa Conymbricensi civitate grauissima peste, coepit & monasterium sororum Sanctae Clarae, quae Urbanistae dicuntur, infici: cumque Abbatissa daret operam ad cratem ut sorores sibi subiectae aliò transferrentur ut vel sic mortem euadere possent, adfuit ex insperato mendicus qui ab ea tanta tristitiae & sollicitudinis causam sciscitatus, atque certior de his factus, membranulam ipsi porrexit, inquit: Si curaueris ut Antiphona & Oratio hac in chartula scripta singulis diebus decantetur, hic locus immunis omnino à peste erit. Hisque dictis euanuit. Existimarunt sorores huiusmodi mendicum Sanctum Bartholomaeum fuisse. Quidquid tamen sit, indubia res est. Coenobium ex eo tempore ab omni pestifera lue, Conymbricensi etiam ciuitate infecta, liberum fuisse. Antiphona autem haec est:

*Stella cali extirpauit, quae lactauit Dominum,
Mortis pestem, quam plantauit primus parens hominum.
Ipsa Stella nunc dignetur sidera compescere,
Quorum bella plebem cadunt dira mortis ulcere.
Opissima Stella maris à peste succurre nobis.
Audi nos domina; nam filius tuus nihil negans te honorat.*

Salua

Salua nos Iesu pro quibus Virgo Mater te orat.

Verf. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

Resp. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

DEus misericordiae, Deus pietatis, Deus indulgentiae, qui misertus es super afflictionem populi tui, & dixisti angelo percutienti; Contine manum tuam: ob amorem illius Stellae gloriose cuius vbera pretiosa contra venenum nostrorum delictorum quam dulciter suxisti: presta auxilium gratiae tuae: vt ab omni peste & improvisa morte secure liberemur, & à totius perditionis incurfu misericorditer saluemur, per te Iesu Christe rex gloriae: qui viuus & regnas in saecula saeculorum. Amen.

De Cœnobio Augustinianorū in vrbe Romanā similia planè referuntur. Cū enim anno 1470. pestilens morbus monasterium Augustinianorum Romae iuxta viam Flaminiam vbi Nero sub arbore nuce sepultus fuit, situm, dictumque ob frequentiam populi, La Madona del populo, inuasisset, atque ex eo iam sacrista Conuentus cum suo socio mortuus esset, territis Religiosis omnibus quod immediatè antea illis in infirmitorio adfuissent, Prior contractum verè pium cum iisdem inuit, nempe vt si pestis sese remitteret, quotidie vnus Religiosorum praedicti Conuentus quinque Psalmos à B. Bonauentura in honorem S. ^{mae} Deiparae compositos, & à litteris sancti eius nominis incipientes, perpetuâ obseruatione ibidem recitaret. Et ecce rem verè miram. simul atque Religiosorum suum exequi inciperent, cessauit contagio, & deinceps in hodiernum vsque diem nullus de praedicto Conuentu peste vel tactus, tantò minùs absumptus fuit. Dicti verò Psalmi reperiuntur in Psalterio Sancti Bonauenturae, incipiuntque

piuntque hoc ordine: 1. Magna es Domina. 2. Ad te Domina clamabo. 3. Refugium tu es Domina. 4. In te Domina confido. 5. Ad Mariam cum tribularer clamaui. ita libellus ab Augustinianis nuper editus. asseruaturque in predicto monasterio illa ipsa imago Deiparæ quam D. Lucas pinxisse traditur, dono Gregorij IX. eis data, & miraculis etiamnum hodie celebris. Lancilot. l. 3. c. 31. vitæ S. Augustini. Infinita propemodum his similia possent produci, sed ne tædio sim Lectori supersedeo, paucis his contentus, è quibus veluti ex vngue leonem, ex pollice gigantem, ex linea Protogenem, ex tabula Apellem agnoscas, quã bono iure iam suprâ citatus S. Bernardus nos adhortetur mellifluis suis verbis, qui sacro melle & ipse plenus erat: Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius qui totum nos habere voluit per Mariam. Aduocatam habere vis ad Christum? ad Mariam recurre. exaudietur & ipsa pro reuerentia sua: exaudiet utique matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Sileat proinde misericordiam tuam Virgo Beata, si quis est qui inuocatam eam in necessitatibus meminerit sibi defuisse. Si igitur insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationis, respice stellam, voca Mariam in periculis, in angustijs: in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca: non recedat ab ore, non recedat à corde: & ut impetres eius orationis suffragium, non deserat conuersationis exemplum. Sequimur consilium amasij tui, ô clementissima! in angustijs contagiosæ huius pestilentiæ miserè constituti, & ad te ô Stella stellarum clarissima, respicimus: ad te ô Maria super omnes mulieres benedicta confugimus: audi nos, suscipe nos, libera nos. neque enim deest tibi potestas, quia mater es omnipotentia; nec impetrandi industria, quia mater es sapientia,

Serm. de
natiuit.
Mariæ.

Serm. de
assumptio
ne.

M

pientia,

pietia, nec adiuuandi voluntas, quia mater es misericordia.

Eia ergo aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, & funde preces ad Filium pro salute fidelium ô Maria flos Virginum.

C A P V T XII.

De quinque famosioribus Sanctis contra pestem Tutelaribus.

Q Vinque sunt præcipui, & per totam Ecclesiam miraculorum gloriâ, erectione altarium, & deuota populi veneratione famosissimi contra luem contagiosam Tutelares patroni; nempe, S. Antonius, S. Rochus, S. Sebastianus, S. Adrianus, & S. Christophorus, suntque nonnulli religiosi viri qui in implorandis eorum suffragijs hebdomadam integram ita distribuunt, vt die Dominica qui Deo sacer est & à quo omne principium, hanc vel similem Sanctissimæ Trinitati fundant orationem quam puer supernâ vi in sublime omnibus spectantibus raptus grassante Constantinopoli seua contagione angelico ministerio didicit, & Patriarchæ, Imperatori ac vniuersæ multitudini ad preces prostratæ retulit:

Ioannes
Darmasc.
l. 3. orthod.
c. 10.

Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nostri.

quod trisagion è cælo acceptum vniuersalis postmodum Ecclesia diuino suo officio inseruit; aut hanc si lubet:

Iesu Nazarene rex Iudeorû gloriosus titulus Crucis tue defendat nos ab omni malo, Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & immortalis miserere nobis. Pater noster. Ave Maria.

Collecta.

Oremus.

DEus qui non mortem sed pœnitentiam desideras peccatorum: populum tuum ad te reuertentem propitius